



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulvm XXV. Nobis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Nobis.

PARAPHRASIS.

Quæsitum est ex Clem. III. si aliquis Ecclesiam construxit, eaque ratione Patronus factus est, num is ad electionem Rectoris unâ cum Clericis admittendus sit, an repellendus, quando Patronus longam consuetudinem allegat, secundum quam interfuerit electioni? Respondet Papa, si quis cum consensu Diocesani Ecclesiam construxerit, ex eo jus Patronatus ipsi acquirit; verum si Ecclesia Conventualis sit, non electioni faciendæ, sed jam factæ assensum ejus honestius peti; præterquam, si jurisdictionem obtineat, secundum quam partes suas interponere debeat electioni tractandæ. Secus autem est in Capella, seu Parochia, ad quam à Patrono unus presbyter electus præsentatur instituendus. Ob fundationem quoque Ecclesiæ honor processionis Patrono servatur; & si ad inopiam tendat, ab Ecclesia ipsi moderatum subsidium præbetur, prout factis Canonibus institutum est.

SUMMARIUM.

1. *Jus Patronatus acquiritur ex sola ædificatione Ecclesiæ, sicut Diocesani consensu ædificata sit.*
2. *Quid sentiendum de eo, qui Ecclesiam reparavit?*
3. *Quid sub nomine si quis intelligatur?*
4. *Discrimina inter electionem, & præsentationem.*
5. *Quis sit Patronus Ecclesiæ Collegiatae, & qua ejus circa electionem Prælati talis Ecclesiæ licentia, & potestas?*
6. *Quis honor in processionibus debeat Patrono?*

NOtandum primum. Ex sola constructione, seu ædificatione Ecclesiæ acqui-

ritur jus Patronatus *c. piamenit 26. c. 10. c. 16. q. 7.* necesse tamen est, ut Ecclesia cum Diocesani Episcopi consensu ædificata sit *c. memo. 9. dist. 1. de consec. & videtur potest Azor t. 2. l. 6. c. 19. q. 7.* Veniamen si domum sine Episcopi consensu ædificatam, is postea accipiet, & consecrari velit, acquiritur jus Patronatus, uti *hic D. b. notavit v. 2.* ubi rectè etiam ait, quod que ordinarij Episcopalem jurisdictionem in loco, ubi Ecclesia ædificatur, habent consensum sufficere ad jus Patronatus acquirendum. Dixi autem: ex sola constructione, id est, tametsi fundum non dederit, qui construxit, nec dotaverit; quare plures ejusdem Ecclesiæ Patroni ex diversis titulis esse possunt, qui fundavit, qui ædificavit, qui dotavit, prout fultus docet *in cit. c. 13. n. 1. & 2.* Sed quid, si quisquam Ecclesiam reparavit, acquiritne jus Patronatus? Respondeo, & dico primo. Si aliquis Ecclesiam non collapsam reparavit, non debet censerî Patronus, sed Beneficentia. Ita Gloss. & DD. *in c. 3. verbi fundator hoc tit. Azor cit. c. 19. q. 10.* Deo locandò. Si Ecclesia penitus collapsa, aut destructa sit, is, qui eam ædificavit, amittit jus Patronatus, & alius, qui cum Episcopi consensu reædificat, sibi acquirit *arg. legis quæ tamen decima ff. quibus modis usufructus amittitur*, quod verum esse ait Glossa in tametsi ex eadem collapsa materia alter ædificet: verum si per partes ædificata sit Ecclesia, licet denique tota nova facta sit, non desinit esse primus Patronus, quia eadem Ecclesia esse censetur *arg. citata legis 10. & planè.*

Corollarium. Si Ecclesia collapsa, vel penitus destructa sit, non moneri debet Patronus, qui eam ædificavit, an reparare velit, & jus Patronatus conservare, cum ad ipsum, qui Ecclesiam ad esse produxit, vel primo loco pertineat. Adde hinc, quod ob Ecclesiæ destructionem, si ipse ejus reparanda sit, fundator, imò & dotator non amittunt jus Patronatus: cum & fundum, & jura Ecclesiæ, quamvis secundum materiam

ria collapſa ſit, permaneat, quâ de re videri poteſt *Baldus*.

Quæritur etiam, quàm latè hoc in loco pateat vocula *ſi quis*? num videlicet etiam Mulier, Judæus, aut Infidelis Hæreticus, Excommunicatus Patroni ſiant, ſi Eccleſiam fundent, conſtruant, aut dotent. Reſpondeo & dico primò. De Muliere non eſt dubium, quin capax ſit juris Patronatûs, uti docuit *Gloſſ. recepta in c. quoniam 13. verbo vel ſamina argum. ejus textûs, & c. ex litteris 7. hoc tit.* & videri poteſt *Gloſſa in c. Generali 13. de electione in 6. verbo univerſos*, ubi ait, quòd vocabulo *ſiquis* etiam ſiqua comprehenditur: qui maſculinum, concipit & fæmininum, ait *hic Abbas n. 3. Ioan. And. n. 3. Gloſſa in Clement. 1. verbo homines de electione*. Dico ſecundò. Judæus aut Pagâus, ſeu Infidelis nõ eſt capax juris Patronatûs. Ita *Gloſſ. recepta in c. Frigentius 27. cauſa 16. q. 7. argum. ejus textûs, & c. piamenti 26. eadem quaſtione*. Dico tertio. Hæreticus non eſt capax juris Patronatûs, uti hîc docet *And. & Abbas n. 3. Gloſſa in c. maximum 10. Verbo dignitate, cauſa primâ q. 7.* cùm enim Hæreticus extra Eccleſiam ſit, non competit ei jus Eccleſiaſticum, etique annexus honor in Eccleſia *c. didicimus 31. cauſa 24. q. 1.* Quare præſentatio Patroni in hæreſin lapſi repelli deberet. Verùm ſi poſtea ad Cathol. fidem reverſus ſit, recuperari ab ipſo jus Patronatûs, ſi per ſententiam privatus non ſit, ait *Gloſſ. citata*. Qua de re alibi dixi. Dico quartò. De Excommunicato videtur eſſe eadem ratio, quæ Hæretici, cùm & ille extra Eccleſiam ſit, & ideò cura, & honores Eccleſiaſtici in eum non cadant: quia tamen fideles poſt *extravagantem ad evitanda* non tenentur vitare excommunicatos non denuntiatos, aut non notorios percussores Clericorum, probabile eſt, quòd Epifcopus conſentire poſſit, ut excommunicatus toleratus, Eccleſiam ædificet, & jus Patronatûs acquirat, juxta ea, quæ hîc docet *And. n. 3.* Deinde ſi Prælatus excommunicatus ex reſtitibus Eccleſiaſticis Eccleſiam conſtruat, aut

dotet, jus Patronatûs indubiè acquiritur Eccleſiæ, v. g. monaſterio. Dico quintò. Num Patronus in excommunicatione poſſit præſentare poſſit, diſſentiunt DD, alij abſolutè negant, alij affirmant, alij diſtinguunt inter Patronum Eccleſiaſticum & Laicalem; illi negant competere præſentationem, huic autem affirmant, uti videre eſt apud *Sairum l. 2. tit. theſaurum c. 6. n. 7. Suarez de cenſibus diſp. 14. n. 21.* Mihi placet ſententia univerſim negans, quæ eſt *Abbatis hîc n. 3. Covarru. in c. alma. 1. S. 7. n. 9. a. 12. Henriquez. l. 13. c. 7. n. 2. in comment. litt. B.* nam excommunicato prohibitum eſt exercitium, & uſus juris Eccleſiaſtici, uti docui *l. 1. tr. 5. p. 2. c. 2. n. 13.* præſentatio autem eſt actus ſeu exercitium juris Eccleſiaſtici, cùm per præſentationem jus, & actio acquiratur ad petendum beneficium, ergo &c. Confirmatur ex eo, quòd certum ſit, electionem irritam eſſe, quæ fit ab excommunicatis (intelligo de non toleratis) uti videre eſt *in c. unico ne ſede vacante in 6. & apud Sairum n. 4. & 5 & docui in diſp. de Prælatis q. 26.* atqui præſentatio, cùm & ipſa jus aliquod ſpirituale tribuat, licet minus, quàm electio, eidem in jure æquiparatur, ut quæ ſtatuta ſunt de electione, plerumque etiam locum habeant in præſentatione, juxta *Gloſſ. in c. ult. verbo eſt. in 6. ergo &c.*

Notandum ſecundum. Inter electionem & præſentationem diſcrimina ſunt in hoc, ſignificata; nam electio eſt Collegij, ſeu Eccleſiæ habitentis Conventum de Prælato, qui à Superiore confirmari debet, ſi idoneus & canonicè electus ſit à Conventu, ſiquidem per electionem jus acquiſivit, quòd magis firmari debet per Superioris approbationem, uti *hic Abbas* notat *n. 4.* At verò præſentatio locum habet in beneficiis non electivis, ſeu quæ Prælatuæ non ſunt, ſive ea ſimplicia ſint, ut Capellanix, ſive curata ut Plebanix, ſeu Parochiæ, quæ Patronata beneficia vocantur, & tribuuntur per inſtitutionem Ordinarij dependentem à præſentatione Patroni. Sumitur autem hîc Eccleſia Con-

ventua-

ventualis, seu Conventum habens latè pro qualibet Collegiata; propriè enim, & stricto nomine Ecclesiæ Conventualis comprehenditur tantùm Regularis, seu quæ Regularem Conventum habet, uti hîc monet *Abb. n. 3.*

5 Notandum tertium, Qui Ecclesiam Collegiatam fundavit, construxit, aut dotavit, Patronus ejus est, sed jus eligendi Prælaturam non habet, nec electioni interesse debet, nisi ex diuturna consuetudine, aut foundationis tenore ipsi potestas competat: qua de re dixi in *disp. de Pralat. q. 20. & sequentibus. & l. 4. tr. 2. c. 13. n. 12.* Unde hinc intuli cum *Gloss. hic*, quòd Episcopus Ecclesiam Parochialem Patronatam ordinariè loquendo non possit, invito Patrono, convertere in Collegiatam. Sin autem ob aliquam necessitatem id fiat, ita ut Patronus contradicere non possit, cùm Patronus majus Ecclesiæ commodum non impedire, sed magis promovere debeat, saltem in hoc casu retinere debet jus nominandi Prælaturam, ut eadem *Gloss. notavit v. ex capella.* Multò magis ad beneficia simplicia, si ea ex Parochiali Ecclesia constituentur, Patronus præsentare debet, quia subrogatum imitari debet naturam ejus, cui subrogatur. Adde, quòd etiam in Collegiata Ecclesia jus præsentandi seu nominandi Prælaturam sibi in fundatione Patronus reservare potuerit cum Ecclesiæ acceptance, & consensu.

6 Notandum quartum, Patrono in processibus & Ecclesia specialis honor & prærogativa debetur, uti explicatum leges in *Glossa c. uni. hoc tit. in 6.* Alimenta etiam secundùm facultates Ecclesiæ ministrari debent, si ad inopiam tendat, uti hîc habetur, & in *c. quicumque 30. causa 16. q. 7.* & docui in eodem *c. 13. n. 8.* Dummodo Ecclesiæ aliquid suppetat ultra ea, quæ necessaria sunt ad fabricam, & ministrorum sustentationem, quippe quibus ante alios ex bonis Ecclesiæ succurri debet, uti hîc notavit *Abb. n. 6.* & tradit *Glossa in cit. c. quicumque v. ad inopiam. argum. l. si quis à liberis 3. §. de alimentis. ff. de liberis ad-*

nascendis, ubi declaratur, quando liberus Patronum, & liberos ejus, si ad inopiam deveniant, ob gratitudinem alere debentur.

CAPITVLVM XXVI Per nostras.

PARAPHRASIS.

Referibit Pontifex, quòd nullus, quantumcunque idoneus, seipsum præsentare possit ad personatum alicujus Ecclesiæ, quòd nullus semet ingerere debeat Ecclesiasticæ Prælationis officijs,

SUMMARIUM.

1. Patronus nec per alium se præsentare potest, nisi omni suo jure pro ea re se exuerit.
2. Episcopus motu proprio Patronum, si idoneus sit, insinuare in beneficium potest.

Notandum. Nemo se ipsum ad Ecclesiam vacantem personatum præsentare potest. Rationem dat *Gloss. hic v. præsentare*, quia nemo oritur à se ipso *c. didicimus 30. causa 24. q. 1.* sed debet esse distinctio inter dantem, & accipientem *c. ubi. de inf. l. 1. ff. de auctoritate tutorum.* Adde, quòd Patronus neque per alium à se delegatum, neque cui pro ea vice præsentandi potestatem demandavit, præsentari possit, uti docet *And. in c. ex insinuatione 14. n. 3. Anthon. Flamin. de resign. l. 9. q. 17. n. 114.* Unde que dicendum de procuratore, qui à Canonico constitutus est ad eligendum, quod non possit eligere principalem, sed tantùm ipsum procurator, sive mandatarium, præsentare potest, teste eodem *Flam. v. 104.* Ceterùm si Patronus præsentandi potestatem in alium penitus, & legitime transulerit, ut alter suo jure saltem pro hac vice præsentet, tunc præsentari posse eum, quod transulit, ait *And. cit. n. 3.* Hinc sequitur, & expressius tradit *And. n. 2. Abb. n. 3.* quòd